



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Homine Spirituali

**Walenburch, Adrian van
Walenburch, Peter van**

Antverpiae, 1666

Epistola II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10007

ro. Memento in tuis quietis precibus illius, qui dum Martham imitari plerumque cogitur, suavitates de pedibus Domini distillantes non intelligit, tanquam sine magna tranquillitate non perceptibiles.

8. Decem. 1664.

EPISTOLA II.

1. **A**Nno præcedenti fermè elapso, visum fuit per literas, si quidem possem, respondere petitioni tuæ, de Christo Intercessore, Mediatore, & Advocato. Cùm autem per hæc festa eadem recogitarem, cæpi inquirere; An sicut *Iesus Christus* est solus Mediator redemptionis nostræ, (neque enim Angelis vel Sanctis competit titulus Mediatoris, in ista significatione) ità sit solus Advocatus noster, interpellans apud Patrem pro nobis?

2. Legebam in Evangelio, dixisse

xisse Christum : (a) *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Quid est Paraclitus, nisi Advocatus? Si ergo Spiritus sanctus nobis datur, ut Paraclitus; utique datur nobis, ut Advocatus. Si nobis datur, ut advocatus; habemus alterum apud Patrem advocatum, præter Christum.*

3. Perpendamus, in quem finem detur Paraclitus; & fortè elucescet, undè meritò dicatur Advocatus. Christus dicit, in hoc dari Paraclitum, *ut maneat vobiscum in æternum.* hoc est, quantum capio, ut nobis adsit, quemadmodum tutores, & curatores confueverunt pupillis, & minorennibus adesse, quorum jura assumunt defendenda. Ideò verò additur : (b) *Non relinquam vos orphanos.* Simul nos monet Christus infirmitatis nostræ, qui perpetuo indige-

G 4 mus

(a) *Ioan. 14. 16.* (b) *Ibid. v. 18.*

mus adjutorio, donec crescamus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; & simul spondet potentissimum Advocatum, qui tãquam tutor nunquam nos deserat.

4. Iterum dicit Christus: (a) *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq̃ue dixerit vobis.* Officium istius Advocati erit, ut nos doceat omnia, ut nobis omnia suggerat, quæcunq̃ue nobis Christus dixerit: in eo diversus ab Advocatis hujus mundi, quòd his sufficiat clientum suorum causas defendere, etiamsi ipsos clientes de justitia causarum suarum non instruant; divinus autem ille Advocatus & doceat omnia, & suggerat omnia, & in omnibus erudiat, quæ Christus nobis dixit, & in quibus justitia causæ nostræ fundatur.

5. Sed quomodo nos erudiet?

Paracleti-

(a) *Ioan. 14. 16.*

(a) Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ecce, qui est Advocatus noster, iam simul est tutor, iam simul est pædagogus & instructor, iam simul est testis. Quid est, quod nobis testificatur? (b) Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. De eodem dicit Christus: (c) Cùm venerit ille, (Paraclitus) arguet mundum de peccato & de justitia, & de iudicio. Judicat igitur Paraclitus, ut supremus iudex, à quo nulla datur provocatio; de omni iudicio hujus mundi iudicans, tanquam spiritus veritatis. Ità non repugnat, Deum esse advocatum, testem, & iudicem.

6. Deus Pater est iudex: (d) Annuntiabunt celi justitiam ejus, quoniam

G 5

Deus

(a) Ioan. 15. 26. (b) Rom. 8. 16.

(c) Ioan. 16. 8. (d) Psal. 49. 6.

Deus iudex est. Item : (a) Deus iudex iustus, fortis, & patiens. Deus Pater est testis : (b) Testimonium Domini fidele, sapientiam prestans parvulis.

7. Deus filius est iudex : (c) Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Item : (d) Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex vivorum & mortuorum. Deus filius est testis : (e) Si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Item : (f) Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. Non diceret filius Dei rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis ; nisi & ipse esset advocatus, atque Paraclitus.

8. Spiritum sanctum esse iudicem, testem, & advocatum, iam ostendi. Dicitur autem Spiritus veritatis, quia est Spiritus Patris & Filij.

(a) Psal. 7. 12. (b) Psal. 18. 8. (c) Psal. 71. 1. (d) Act. 10. 42. (e) Ioan. 8. 13. (f) Ibid. v. 18.

lij. Nam sicut de Patre dicit Psalmista: (a) *In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.* Ità de seipso dicit Filius: (b) *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipse etiam Spiritus sanctus, tanquam tertia S. S. Trinitatis persona, est Spiritus veritatis: (c) *In hoc cognoscimus Spiritum veritatis.*

9. Ergò Deus Pater iudex: Deus Filius iudex: Deus Spiritus sanctus iudex. Deus Pater testis: Deus Filius testis: Deus Spiritus sanctus testis. Deus Filius Advocatus: Deus Spiritus S. Advocatus. Ubi autem Deus Pater dictus sit Advocatus, in Scripturis non invenio.

10. His ita constitutis, sequitur, ut videamus, quomodo Spiritus sanctus agat Advocatum pro nobis. Dicit Apostolus: (d) *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid*
oremus

(a) *Plal. 30. 6.* (b) *Ioan. 14. 6.* (c) *1. Ioa. 4. 6.* (d) *Rom. 8. 26.*

oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desiderat Spiritus: quia secundum Deum postulat pro Sanctis. Spiritus S. postulat pro nobis, ut Advocatus: & postulat secundum Deum pro nobis. Non tantum rogat pro nobis, ut impetret misericordiam; non tantum intercedit pro nobis, ut suadeat clementiam, & liberalitatem; sed etiam postulat pro nobis, ut Advocatus, quod justum est postulari, quod æquitatis est ab eo dari, propter merita Christi, apud quem non est ulla iniquitas.

11. Hoc secundum Deum postulat, quod saluti Sanctorum convenit: quia justum est hoc dari, quod Christus pretioso Sanguine suo promeruit. Nos, tanquam parvuli, quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed Spiritus sanctus adjuvat infirmitatem nostram, ut etiam nescientes;

tes;

tes, sicut oportet oremus. Nisi ille adjuvet, nunquam oramus sicut oportet; utpotè nescientes quid oporteat orare. Ipse autem si adjuverit, oramus sicut oportet; ut perfectiorem orationis nostræ totam tribuamus Spiritus sancti adiutorio.

12. Quamvis verò nos oremus, sicut oportet, à Spiritu sancto adiuti; non tamen ex ratione inscitæ nostræ propriè postulamus: quia postulare intelligentis, & advocati est, justitiam debitè petentis. Ideò dicit Apostolus, non tantùm nos benè orare per Spiritus sancti adiutorium; sed & ipsum Spiritum postulare pro nobis, & ex consideratione meritorum Christi, tanquam ex justitia exigere pro nobis, quod salutis nostræ convenit. Quia verò exigit illud, tanquam Advocatus, instantissimè petens; dicitur postulare gemitibus inenarrabilibus.

13. Sed & nos certo modo postula-

sculamus cum advocato nostro, Spiritu sancto; nam & spiritus ejus, qui suscitavit IESUM à mortuis, habitat in nobis, ità ut actio Spiritus sancti postulantis, propter mysticam unionem, sit & nostra actio. Et ideò sequitur: *Qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.* Dum dicitur, *qui scrutatur corda*, nostra actio innuitur: nam etiam cordis nostri est gemitus ille inenarrabilis; non ex abundantia cordis loquens, quemadmodum in humanis fieri consuevit; sed per abundantiam cordis de enixo desiderio testificans. Ità Deus Spiritus postulat secundum Deum; neque Deum latere potest, quid postulet Spiritus, pro Sanctis postulans.

14. Itaque duos habemus apud Patrem Advocatos: *Iesum Christum* justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris; & Spiritum sanctum; qui etiamsi non sit propitiatio pro peccatis nostris; lytro tamen à Filio Dei

Dei

Dei persoluto, ex iustitiâ, & secundum Deum postulat pro Sanctis,

15. Huic etiam illud cohæret, non requiri ad qualitatem Advocati, ut ipse satisfecerit pro reo: sed sufficere, quod sit satisfactum pro reo, undecunque proveniat ista satisfactio: dummodò sit persona diversa, quæ pro reo postulat: quia nullus dicitur sui ipsius advocatus: quamvis & pro se ipso possit postulare; siquidem sciverit, quid sit postulandum. Eidem cohæret; Sanctos propriè dici posse Advocatos nostros; non verò Mediatores.

16. Non est quod explicem, quanta sit consolatio homini Christiano, utrumque divinum Advocatum, Filium Dei & Spiritum sanctum, sibi habere intimè conjunctum, imò & inhabitantem, quantaque fiducia inde proveniat: illa enim meliùs docebit te unctio, quàm mea tenuis explicatio. Cæterum, ut & Epistolam
lam

lam hanc emendes, rogo: quod si feceris, & tertiam, circa eandem materiam, dabo brevi. Vale: mei in tua pietate memor. 2. Jan. 1665

EPISTOLA III.

1. **P**Riori Epistola debitorem me constitui scribendæ tertiæ: videbatur enim de Advocatis nostris apud Deum esse ulteriùs agendum. Quod licet nunc aggrediar; sentio inexhausta esse Dei ergà nos beneficia: & illud de Advocatis esse tam copiosum, ut præter preces tuas utriusque Advocati, *Christi Iesu*, & Spiritus sancti indigeam patrocínio & adjutorio, ut vel modicum de eo perscribam.

2. Pauperes, si lite premantur, vel jure ipsis experiendum sit, supplicant Principi, ut Advocatus ipsis assignetur qui propter Deum gratis patrocinetur. Non tamen quis
acce-